



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

41. Sacra Congregatio &c. Decretum quo Vicariis Apostolicis, &  
Missionariis in Anglia laborantibus injungitur, ut secularibus, politicisque  
negotiis nequaquam se immisceant, & Evangelico tantum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



1703.

1705.

Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit, necnon ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concursum interfuerunt, subscriptum.

Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo nisi gravamen quoad doctrinam probetis, qui sic, ut præmittitur, examinatus, aut à mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem à Sacra Congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum, & in iudicio appellationis persequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi interposita maturè, ut dictum est, appellatione ab irrationabili iudicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit vel ex actis primi Concursum, vel saltem ex attestacionibus, & documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, & Sanctissimus assensit. At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est; Concurrentium examina instituire perixerit, perget & Sacra ipsa Congregatio more pristino Appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocacionem ad novum examen, nulla gravaminis præviã probatione indulgere. Interim tamen, ne harum Litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio eas in uniuscujusque Ordinarii Cancellaria perpetuò conservari. Cujus interea consilium, tum voluntatem dum ego omnibus significo. Ampliudini tuæ fausta omnia è Cælo precor, Romæ hac die 10. Januarij 1721.

Ampl. Tuæ,

Uti Frater.

P. M. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secretarius.

## DECRETA MEMORABILIA

Sacra Congregationis Propaganda Fidei.

*Juxta temporis seriem disposita.*

### DECRETUM.

I. Quo Vicariis Apostolicis, & Missionariis in Angliã laborantibus injungitur, ut secularibus, politicisque negotiis nequaquam se immisceant, & Evangelico tantum Ministerio exequendo intenti sunt.

Die 26. Martij 1703.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide, annuente Sanctissimo D. Nostro, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum vestigiis inhaerente, præsentis Decreti tenore distictè mandat, & præcipit omnibus, & singulis Vicariis Apostolicis, aliisque Missionariis tam Secularibus, quàm cujusvis Ordinis, seu Instituti, etiam necessario exprimendi Regularibus in Angliã laborantibus, ut omninò se ablineant à Secularibus, & politicis negotiis, usque præcipuè, quæ ad Statum Regni, vel Reipublicæ, sive temporalem eorum administrationem pertinent. Magistratibus Secularibus debitum obsequium præstent, modesti, pacifici, & quieti, quemadmodum veros Christi Fideles, ac præsertim Ecclesiæ Ministros decet, illis dumtaxat occupationibus, quæ suæ sunt vocatio-

nis, intenti, scilicet orationi, prædicationi verbi Dei, Sacramentorum administrationi, & similibus pietatis officiis, pro Persecutoribus ipsis, si aliquando duriora pro Fide Catholica patiantur, orantes: nemini dantes ullam offensionem, nec ulli malum pro malo reddentes, sed Apostolorum, virorumque Apostolicorum vestigia sectantes, in omnibus se patientiæ, & charitatis exemplum exhibeant, ut non ab similem illis laborum, atque passionum suarum fructum, ac præmium à Divina Bonitate sperare merito possint. Datum Romæ die, & anno quibus supra.

Carolus Cardinalis Barberinus Præfectus.

Carolus Augustinus Fabronus Secretarius.

### DECREETUM.

Quoad Juramentum ab Alumnis Collegii Urbani præstari solitum.

Die 4. Maji 1705.

Referente Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinale Colloredo dubia quædam orta circa juramentum ab Alumnis hujus Collegii Urbani præstari solitum, quæ tam Alumnorum, quàm Rectorum pro tempore Collegii præfati conscientias non mediocriter vexare possent, quæque primum proposita in Congregatione Generali habita die 20. Aprilis præteriti coram Sanctissimo Domino Nostro, remissa fuerunt à Sanctitate Sua Congregationi Ordinariæ pro voto, Eminentissimi Patres re maturè perpensa censuerunt.

Primo expedire, ut Alumni, qui admittuntur completo ætatis anno decimoquarto, antequam juramentum præstent, expectent sex menses à die admissionis; qui verò admittuntur ante completum annum decimum quartum, expectent adhuc sex menses postquam compleverint eundem annum decimumquartum.

Secundo pariter expedire, ut Sanctitas Sua dignetur remittere arbitrio Sacrae Congregationis prorogacionem termini ad juramentum præstandum in casibus particularibus, ubi fuerit necessarium.

Quibus omnibus per R. P. D. Carolum Augustinum Fabronum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua benignè annuit, & ita in posterum servari mandavit quibuscunque non obstantibus in Audientiã habita die 14. Maji 1705.

Joseph Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Carolus Augustinus Fabronus Secretarius.

### DECRETUM.

In causa prætensæ depositionis, & privationis D. Jacobi Patriarchæ Antiocheni.

Die 20. Martij 1713.

In causa super prætensæ criminibus, & excessibus contra D. Jacobum Patriarcham Antiochenum oppositis, & deductis, audita, maturèque in pluribus Congregationibus perpensa relatione Eminentissimi Fabroni, & signanter depositione Testium nulliter, & inordinate contra eundem D. Jacobum examinatorum, nec non visò examine aliorum Testium à P. Lauren-